



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

2. Quid sit regnum Sathan[a]e, & qui sint in illo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

patientiam, castitatem, &c. tenent, omnes illi sunt in regno Christi spirituali. Et hoc quidem regnum ornatur & retinetur benè cæremonijs, regulis, statutis, &c. sed hæc non sunt regnum Christi: consistit ergò in corde hoc regnum: attamen foris cernitur vbi sit, à fructibus iustitiæ, &c.

Regnum sathanæ est, vbi non est fides Christi, vbi nondùm cor renouatum est Spiritu sancto: & ex illo regno nascuntur, quotquot ex prima natiuitate sunt & tam diu manent omnes filij Adam, donec liberentur per Christum. Ioan. 8. Si filius vos liberauerit, verè liberi eritis. Liberat enim quotquot in illum credunt. Ioan. 1. Dedit potestatem filios Dei fieri, &c. In illo igitur regno est aliud nihil nisi mendacium, homicidium, blasphemia, superbia, auaritia, &c. tota lerna vitiorum, vbi sathan rex trahit corda ad placitum, vt sua desideria perficiant, sicut Christus obiecit Iudæis, Ioan. 8. Vos ex patre diabolo estis, &c. Et ideò Apostolus nominat diabolum deum huius seculi, qui excæcat corda fidelium, 2. Corinth. 4. In hoc ergò sathanæ regno sunt, quotquot obtemperant carnalibus desiderijs & operibus carnis, Galat. 5. Et de illis dicit Apostolus 1. Corinth. 15. Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt. Et homines istius regni solùm quærunt opes, honores, voluptates atque carnalia: ideò directè opponuntur regnum Christi & regnum Sathanæ. Multò enim latius est regnum Sathanæ, quàm Christi: quia omne quod est in mundo, inquit Ioannes, 1. Ioan. 2. aut est superbia, vel luxuria, vel auaritia, &c. & nullus de tali regno introibit in regnum cælorum, eò quòd diabolus nihil habet in Christo. A tali ergò regno liberamur, & in Christi regnum collocamur, quandò Christum credimus nostrum Dominum & saluatorem, Rom. 10. Propter quem gratuitè condonantur peccata, & iustificamur Rom. 3. de quo iubet Apostolus gratias agere.